


A 56500(60)



26

Q. D. B. V.

AD

ORATIONEM
AUSPICALEM,

Die crastini

H. L. Q. C. habendam

MAGNIFICUM RECTOREM,

reliquosque

PATRES atque CIVES

ACADEMIÆ

invitat

IMMANUEL WEBER,

Jurium Doct. & Profess. Extra-Ordinar. Hi-
storiar. Ordinarius.

Giessa-Hassorum, Typis Henningi Mülleri.



Q. D. R. N. F.
AD
ORATIONEM
AUSPICIALEM

MAGNIFICUM RECTORIALE
PATRES AC CIVES
ACADEMIAE

IMMANUEL WILHELM
JURIS DOCT. & THEOL. DOCT. CLAR. MERIT.
HONOR. O. S. P. A. S. S. I. A. N. I.

1774



Qui vastum illud humanarum scientiarum pelagus trajecturi sunt, duo non minus sedulo sibi cavenda, in quæ pronissimi Eruditorum lapsus, esse cogitabunt, quàm qui fretum Siculum navigantes omni sollicitudine sibi prospicere solent, ne, dum Scyllæ scopulos evitant, voracissimæ Charybdis gurgitibus mergantur. Duo extrema puto, tum scilicet, ut ne nimis abjectè de disciplinis sentiant, quas tamen in humanâ vitâ præstantissimum habere usum negari nequit; tum ne etiam ex alterâ parte cæco judicio & affectu moti laudibus in cœlum evehere conentur, quæ terræ contigua spacia tenere suoptenu & suo pondere desiderant. Prius Scepticorum mores redolet, qui id sibi maximè datum esse credebant, ut rebus omnibus certitudinem detraherent, aut talibus proprium est ingeniis, qualia in Heinr. Corn. Agrippa, Francisco Robortello, Gaspare Scioppio aliisque superiorum temporum ætas vidit, quibus non satis erat, vitia, quæ hominum culpâ rebus insunt, notasse, nisi & ipsas disciplinas graviter insectati, puerum, cujus eluere maculas laudem habuisset, una cum sordibus projecerint. Posterius in iis deprehenditur, qui vel adulatoriis artibus adsueti, ut vulgi literatorum auras captent, non quò eundè erat, progrediuntur, sed quò hætenus itum, subsistunt, licet errores videant, &

emendandi facultate nec quidquam destituantur ; vel Doctorum autoritatibus , autoritatumque præjudiciis fascinati sic veterum fabulis , ut aureo velleri æripedes tauri , incubant ; vel denique nullâ judicandi vi pollentes ingenii quâdam infelicitate nubem pro Junone amplectuntur. Gravissimum utrumque malum , undè certa bonis literis & artibus pernicies ; sed si in comparisonem descendere velimus , hoc illô longè pestilentius , & damnosum , quæ tùm Ecclesia tùm Politia , res certè literaria persensit unquam , causa non est infima. Magna enim ferè sunt ingenia illa , quibus omnia antiquorum sordent , & , quâ alios longè superant , scientiarum vastitas eò præpellit , quò pluribus pertingere nondatur ; Undè , si modum tenerent , utique rem publicam multùm adjuvare possent , imò ne sic quidem , quando excedunt , iis rerum æstimatoribus , qui luxuriam judicio moderari , castigatisque rectè uti sciunt , omninò nulla adferunt emolumenta. At verò quid ab alterius classis hominibus expectare licet utilitatis pro ingentibus illis , quæ ubique infligunt , damnis , & quæ non æque tùm , quando dantur , ac post aliquandiu , quàm illata fuerunt , & quàm celari non possunt amplius , percipiuntur. Non solùm enim bonarum mentium excelsorumque ingeniorum , quibus sentiendi libertas pro alimento est , vigorem supprimunt , ut altius eniti non valeant ; sed & intra brevius , quàm credi potest , temporis spacium res divinas pariter atque humanas tantâ involvunt caligine , cui discutiendæ unius ævi soles , si adeo multiplicari possent , centum non suffecerint. Cogitemus , si dubium est , superiorum temporum , in iisque & religionis & artium fata ; quàm misera tùm & ploranda majorum nostrorum conditio , qui velut intra tenebricosam

sam paludem conclusi non nisi, quæ Scholasticorum insul-
sissima turba præibat, coaxare didicerant, ultra nil sapient-
tes, veræ sapientiæ fontibus planè neglectis, & propriæ ra-
tionis usu, nisi quatenus impuri isti Magistri precariò ve-
luti concederent, penitus sequestratò. Reperiemus simul
istius calamitatis causas, sycophantiam scilicet cleri, qui Va-
ticani Præfulis inauspicatissimum noctis imperium condi-
turi sceptris addictus omne lumen ejuraverat; & cæca do-
ctorum obsequia, qui quùm idolo Clericalis autoritatis im-
poni sibi semel fuissent passii, in eam demum devenere mi-
seriam, ut sacerdotum, aut quoscunque basiandos hi pro-
posuerant, sputa, & si quid his fœdus, lingere gloriosum
duxerint. Altè adeò malum hoc hominum infederat animis,
ut ne tùm quidem, quando collustratis Evangelii luce terris
Cimmeriæ istæ tenebræ discuti cœperunt, deleri funditus
facilè potuerit, sed adsuetæ semel huic viæ mentes jejunis fi-
dei formulis, ex necessitate aliquando constructis ita tena-
citer adhæfere, ut limpidissimis sacrarum literarum fonti-
bus eas longè prætulerint, aut hæc saltim illis pro normâ
dare fuerint conati. Non melius actum cum Philosophiâ,
cui novimus, quâ sævitiâ Aristoteles, (sapientissimi Baconis
judiciò eâ arte, quâ Ottomanni, ut soli regnent, fratres tru-
cidare solent, dominatum primùm adeptus) in plerisque
Germaniæ Academiis Philosophiæ imperitaverit, ut vix
paucis abhinc annis jugum ejus excusserint, imò alicubi, li-
cet sacramento exsoluti, spontaneò tamen cultu majestatem
ejus comiter conservare viri graves atque doctissimi nec
dum desistant. Nihil de medendi arte, nihil de reliquis
dicam, quæ nimirum incommoda satis diu easdem comi-
tata fuerint, quoad è veterum cerebro, qualem ex Apolli-
ne Pæoniam sive Minervam ipsam habuisse ortum fabulæ
A 3 ferunt,

ferunt, sapientiæ præcepta eliquare constitutum. Una fortassis Jurisprudencia nostra calamitates hæc evasit, & quùm universus disciplinarum ordo ex cultu veterum superstizioso terribilem piceâ tectus caligine vultum induerit, in quò exuendo egregii viri multùm, nec sine successu, hætenus defudarunt, sola ea luce suâ castâ scilicet & intemeratâ radians turbidas illâs, quas superstitio & hinc orta ignorantia civere, tempestates evitavit. Ita quidem multi sibi persuasum habent, quibus cùm universum Jus, tùm maximè Justinianeum omni prorsus labe carens, numerisque omnibus absolutum visum fuit, adeò quippè *sanctum*, ut *nihil eò rectius, nihil honestius universa Theologorum Schola* rogare atque sancire potuerit; adeò *divinis legibus consonum*, ut, *si Jctis illis, undè haustum, Gentilibus Christianorum nomen deferat, Christiana omnia facile deprehenderentur*; adeò *naturali juri conveniens*, ut *nec unguiculum à lege, quam DEUS animis hominum insculpsit, nec à tramite justæ omnis legislationis aberraverit*; adeò *universale*, ut *quidquid usquam Gentium de jure vel scriptum, vel usurpatum est, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Poloniâ, Hispaniâ, quin in ipsâ Turci, id vel hinc descriptum, vel desumptum ac depromptum*; adeò denique *mirabili arte digestum*, ut, *qui aliam desiderent, vel comminiscantur, ne quàm illi sint ineptissimi & imperitissimi*; cujusmodi Thraſonicas dicam an gnathonicas præconiorum formulas passim apud Alber. Gentilem, Ventur. de Valentia, & qui magno cumulo eas congeffit, Arthur. Duckium licet observare. Sed nec defuere, cum primis inter Jctos Gallos, viri cordatioris & eximii, qui non ex vero, sed ex adulatione cæcoque amore procedere hæc elogia, & Jurisprudenciam Justinianeam insignibus scatere nævis adeò luculenter demonstraverunt, ut omnes, qui iis incrustandis adhi-


adhibiti fuere, colores tantum tamen haud valuerint, quin illæ sordes, eorum etiam, qui ferè cæcuciant, suffragio hinc & illinc transparent; quanquam etiam negari nequit, eorum aliquos sumtâ censoriâ virgulâ alterum extremorum, de quo supra dictum, non satis evitasse, sed justo rigidiores illa etiam, quæ vel omninò rectè posita, vel interpretatione benigniore juvari facilè poterant, præter suum meritum carbone notasse. Horum uti factum ego non probo, ita tamen multò minus in alterius partis castra descendere, sed regiâ incedere viâ semper placuit, quem morem deinceps etiam ita servare fert animus, ut disciplinis, quas tradere continget, objecta crimina candidus impertiam, quâ parte justa est accusatio, Auditores meos moneam, & consiliis maximè adversus errores communes, quales ubique regnant, juvem; quâ verò parte eadem injusta est, innocentia feram suppetias. Processit ex hoc ipso consilio, quod sub auspiciis novi muneris, dum à SERENISSIMO PATRIÆ PATRE, PRINCIPE AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO, *Jurisprudentiam Professor Extra-Ordinarius* docere jussus sum, de *desideratis circa jurisprudentiam Justinianeam, ejusque præsertim Methodum* publicè sermonem habere, alibi etiam de *Variis circa eam emendandam consiliis* dicturus, mecum constitui; nihil quidquam veritus eorum iras, qui pro piaculo in Doctore publico habent, nisi in gratiam matris & altricis adversus eos, qui pudenda ejus detegere ausi fuerint, *serram ducere, vindicare, objurgare, cohibere, sicilire, novaculam ad vivum usque eorum dictis & scriptis adhibere*, hoc est, qui manifestissimi sunt, errores dissimulare, & obtruso dilectæ




lectæ matri palpo incautæ simul juventuti imponere paratus fuerit. Orationi huic auspicali quùm dictus sit dies crastinus, idcirco *Magnificum Dn. Rectorem*, reliquosque *Patres ac Cives Academia*, eâ, quâ par est, observantiâ atque humanitate rogo & obtestor, velint præsentia suâ desideratissimâ panegyrim hancce illustrem reddere, & per semihoram dicturo benevolas promptasque aures commodare. Dabo vicissim operam, ut, quidquid indè vel gratiæ vel amoris in me redundarit, id omne alio tempore re ipsa & animo gratissimus compensem.

P. P. D. XXIX. O&. A. O. R.


MDCIC.





27.

Colour & Grey Control Chart



MAGNIFICUM RECTOREM,

reliquosque

PATRES atque CIVES

ACADEMIÆ

invitat

IMMANUEL WERBER



Glass